

Memb. 2. Cap. 4. De Philosophia Mathematica. 185
superstructæ sunt, & demonstrationes suas ad harum alteru-
tram ultimatò resolvunt, earumq; tum principiis utuntur,
tum affectiones, ad suum cujusvis speciale subjectum restri-
ctas, atq; ita quasi propriificatas, exercitè demonstrant, ut
infra pluribus explicabitur.

CAPUT IV.

De Philosophia Mathematica.

§. I.

A Stirpe nunc ad ortos inde Ramos dum progredimur,
duo cum primis invenimus *Summa genera*, demonstra-
tionum Subjecta specialia, quorum unum à DEO, primo re-
rum immobili motore, dum produceretur, divinæ hujus im-
mobilitatis rationem velut ectypam sibi proportionatam
participavit, ut immutabilitatis divinæ sit indicium, purita-
tis & impassibilitatis character: Alterum, ut omnipoten-
tiæ divinæ virtutisq; absq; commotione motricis, h. e. incom-
prehensibilis, signum sit, mobile factum est. Utrumq; par-
tes habens extra partes (quod imperfectionis primum est,
quo DEUS utramq; creaturam voluit à se distinctam) exten-
sum est ad terminum si totum respiciamus nobis incogni-
tum: quo ipso velut ex opposito divinam impartibilitatem
utrumq; genus innuit, sed omnipræsentia universalissimam
directè testatur: partium etiam indefinitarum continentia,
quæ sectione licet in infinitum excurrente nunquam exsolvi
potest, velut in speculo quodam omnimodam illam Divini-
tatis infinitatem utrumq; præsentat.

*Summa
Substantia
ortu a genere
duo*

§. 2. Prius illud (ut ad rem propiùs accedamus) *Spati-*
um latini dicunt, Aristoteles *materiam intelligibilem* vocat,
eò quod mente tantum non sensu percipiatur: posterius hoc
Materiam absolutè vocant Philosophi, sed distinctionis gra-
tia *materiam sensibilem* dixerunt veteres, quod sensus nostros
incurrat aut incurrere saltem possit. Illa materia, ceu dixi-
mus, *immobilis* est, & *extensivâ capacitatem* nudè sic conceptâ
constituitur; hæc uti dictum, *mobilis* est, & in *extensivâ reple-*

*SPATIUM
&
MATERIA
cujus utri-
usq;
(1) NATURA
&*

A a

tione